

THESIS XV.

Montes pietatis juste ac licite modicum auctarium a mutuatariis exigunt.

106. *Nota.* Mons pietatis est quaedam summa pecuniae, aut rerum pecuniâ aestimabilium, quae in pauperum refugium, vel a divite uno, vel multis vel Principe, vel Republica aut aliqua communitate reposita est. Hujus conditiones seu leges esse solent: a) Ut detur mutuuum ad breve tempus, v. g. ad annum plus minusve ut possit multis pecunia mutuari et per eam multis subveniri. b) Ut mutuetur sub pignore, ne pauperes in solvendo negligentes sint et mons non consumatur. e) Ut si intra tempus designatum non solvatur mutuuum, pignus vendatur; et detur monti, quod ei debetur, reliquum pignoris Domino restituatur. c) Ut cui mutuuum datur, pro singulis mensibus quibus mutuuum acceptum possidet, eroget aliquam summam brevem pecuniae monti, pro expensis quas ministri faciunt. Thesis est certa.

Prob. 1.º Ex Concil. *Later. V* (1). «Montes pietatis... per Respublicas institutos et Auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos et confirmatos, in quibus pro eorum impensis et indemnitate aliquid moderatum, ad solas ministrorum impensas et aliarum rerum, ad illorum conservationem, ut praefertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem absque lucro eorumdem Montium accipitur, neque speciem mali praeferre, nec peccandi incentivum praestare, neque ullo pacto improbari quinimo meritorium esse ac laudari et probari debere tale mutuuum et minime usurarium putari.» Etiam ex Tridentino (2), quod Montes pietatis inter opera pia recensenset.

Prob. 2.º Montes nihil accipiunt supra sortem praecise ratione mutui, sed solum ut reddantur indemnes, quod est licitum, et a mutuatariis, in quorum favorem mons erectus est, merito praestandum, cum juxta Regul. 55 in 6, «aequum sit, ut qui sentit commodum, etiam sentiat incommodum.»

107. Obj. 1.º In his montibus plus exigitur ab eo, qui diutius pecuniam retinet. Ergo ratione diuturnioris carentiae pecuniae, quod non licet.

Resp. Dist. *antec.* Praecise quia diutius, neg. Quia, si quis diutius retinet plus fruitur commodis montis, ac proinde justum est ut plus caeteris ejus conservationi contribuat; conc.

Obj. 2.º Mutuantis est servare suam pecuniam ad mutuuum de-

(1) Sess. V, ex Bulla *Inter multiplices* Leonis X.—(2) Sess. 22, cap. 8.

CAP. I. ART. III. DE ACQUISITIONE DOMINII, PRAECIPUE DE CONTRACTIBUS 345
stinatam. Ergo injuste aliquid accipit mons pro custodia istius pecuniae.

Resp. Per se loquendo; conc. Semper et in omni casu; neg. Nam in montibus pecunia mutuo destinata, debet conservari in commodum mutuatariorum, et expensae subeundae sunt ob susceptam obligationem ipsis mutuandi (1).

THESIS XVI.

Contractus societatis trinus dictus probabilius licitus est.

108. *Nota.* I. Societas negotiationis seu lucratoria est «conventio duorum vel plurium facta ad contribuendum aliquid, nempe vel pecuniam vel operam, vel instrumenta, ut navim ad commune lucrum, et regulariter etiam ad damnum.» Est licita, dummodo fundetur in honesta negotiatione, servetur proportio aequalitatis in lucris percipiendis damnisque sustinendis pro rata uniuscujusque socii, et tandem si quae conferuntur a sociis statim fiant societatis, nisi societas esset ad merum lucrum (2).

II. Nomine contractus trini, ille contractus intelligitur quo conferens pecuniam in societatem cum altero paciscitur, ut quidquid contigerit, sibi sua sors integra reddatur cum certo lucro sed minore eo, quod merito sperare potuisset. Dicitur trinus quia in eo tres contractus virtute continentur. Primus et principalis societatis, quo dans pecuniam serio et efficaciter intendit et obligat ut pecunia negotiationi applicetur. Secundus assecurationis sortis, quo certo pretio periculum incertum sortis amittendae redimitur. Tertius venditionis majoris lucri sperati sed incerti, pro certo minori.

III. Ut hic contractus debito modo fiat exigunt auctores: a) Ut absit animus foenerandi. b) Ut sit societas; quare si non das pecuniam ei, quem credis vere eam negotiaturum et ad hunc finem, tantum erit societas ficta et usura vera, quae pariter aderit si alter solo suo non etiam tuo nomine negotietur. c) Lucrum certum debet esse moderatum et proportionatum, ut attentis capitali, quod confers, et spe lucri majoris, quae est, appareat compensari juste periculum, quod alter socius subit circa securitatem capitalis et certitudo lucri quae promittitur, diminutione illa lucri multo majoris, quod probabiliter speratur. Thesis est probabilior (3).

109. Prob. 1.º Triplex iste contractus licitus est, si divisim

(1) Vid. Lugo D. 25, nn. 187-196; Platelli; a n. 655 de just. et jur.—
(2) Vid. Lugo n. D. 30, sect. 1, 2.—(3) Molina. D. 417; Less. L. 2, c. 25, n. 22; Lugo D. 30, n. 40 ubi dicit hanc sententiam satis communem et veriorum: contra Sotum, Azor, Sylvium, Concina, etc.

ineatur cum diversis, ut fatentur adversarii. Ergo etiamsi simul et semel cum eodem; quandoquidem per hoc nullam contrahat injustitiam, nec mutet naturam, adeoque non transeat ad rationem nudi mutui.

2.º A priori cum Lugone. Tota aequalitas contractus consistit in eo quod aequalia sint commoda et incommoda, quae contrahenti apponuntur. Sed haec aequalitas habetur in trino contractu. Ergo... *Min.* prob. In contractu trino magna spes majoris lucri et exiguum capitalis periculum debent compensari onere assecurationis et exiguo lucro. Sed non repugnat spem majoris lucri tantam esse et e contra periculum capitalis adeo exiguum ut aequivaleat spes illa majoris lucri toti oneri assecurandi capitale, cum aliquo exiguo lucro. Ergo non repugnat contractum trinum esse justum et aequalem ex utraque parte.

110. Obj. 1.º Contractus trinus, cum societate dicta *Leonina* seu qua aliquis sibi totum lucrum, comparti totum damnum tribuit, fere coincidit. Sed illa societas est iniqua. Ergo...

Resp. neg. *Maj.* Nam licet unus sustineat totum damnum forte futurum, alter tamen magno lucro renuntiat.

Obj. 2.º Gregorius XIII respondens Wilhelmo Bavariae duci usurarium declaravit contractum, quo quis dat alteri pecuniam, ut una cum annuo censu, sors salva et integra reddatur. Sed hoc respondere non potuisset, admissa liceitate contractus trini. Ergo. *Min.* prob. Admissa liceitate hujus contractus, potuisset dici, illum haberi in contractu proposito a duce. Ergo...

Resp. Conc. *Maj.*; Neg. *Min.* Nam, ut constat ex dictis ubi de titulo legis civilis in casu proposito, Gregorio XIII dicebatur pecuniam dari *cujusvis conditionis* homini, quod aperte applicari nequit contractui trino.

Obj. 3.º Sixtus V, in constitutione *Detestabilis*, reprobatur in posterum contractus societatis, si aliquis ex sociis non debeat subire damnum, et pronuntiat hujusmodi contractus habendos esse illicitos et usurarios. Ergo...

Resp. Dist. *Antec.* Reprobatur ut jure naturae illicitos; neg. Usurae praesumptione, quando fraus et inaequalitas interveniat; conc. Constat haec solutio ex Toletano nostro, cujus opera usus fuerat Sixtus ad perficiendam hanc constitutionem. Hic in Instructione sacerdotum (1) hanc constitutionem citans, aperte docet hunc contractum licere, idemque faciunt plurimi auctores magni nominis, qui postea scripserunt. Constat etiam ex Benedicto XIV, qui licet De Synodo Dioecesisana (2) dicat hunc contractum «minus con-

(1) L. 4, c. 41.—(2) L. 7, c. 50.

»gruere Sixtinae constitutioni» tamen monet Episcopos, ne ullam censuram infligant sententiae contrariae cum Apostolica sedes adhuc nullam inflixerit.

Obj. 4.º Qui init hunc contractum transfert dominium suae pecuniae in negotiatorem assecurantem; hic hujus pecuniae quomodo libuerit disponet, ea conditione, ut soli ipsi pereat et fructificet, et tandem statuto tempore sortem restituat. Sed hoc est inire nudum mutui contractum. Ergo lucrum ex eo contractu ultra sortem perceptum est vera usura.

Resp. Neg. *Maj.* Nam negotiator, vi istius contractus et ex seria intentione dantis ad societatem, tenetur istam pecuniam aut aequivalentem utriusque nomine applicare negotiationi; adeoque non solum negotiator, sed etiam dans pecuniam manet istius pecuniae dominus, licet ei non pereat propter assecurationis, non mutui contractum, ut patet in casu quo dans in societatem assecuratur a quopiam tertio non socio.

Obj. 5.º Cum P. Concina. Contractus trinus inventus est ad declinandam usuram. Ergo, sicut usura, est illicitus. Confir. Admisso contractu trino leges omnes contra usuras eludentur. Ergo...

Resp. Neg. *antec.* Est enim nova forma contrahendi societatem mercatoribus tum dantibus pecunias commodior. Ad confir. neg. pariter *antec.* cum vi hujus contractus dominium pecuniae in totum non transferatur et pecunia non nisi negotiationi lucratoriae applicari possit.

SCHOLIUM.

De censibus.

III. Dico I. Emptio novi census realis consignativi et perpetui licita est.

Nota. I. Census est «jus percipiendi pensionem annuam ex re vel persona alterius.» Eodem vocabulo significatur et pensio seu canon; et contractus censualis, qui est «quaedam venditio et emptio» «cujus materia est census.» Usu sat recepto, qui hoc jus vendit dicitur «censuarius;» qui emit «censualista;» et id, in quo fundatur census, «res censita.»

II. Census est *reservationis*, si «quis in alterum transfert rei suae dominium tam utile, quam directum, sibi super eadem re reservato jure pensionis annuae.» Hujusmodi census est justus et proinde licitus; quia solum est quaedam reservatio, qua dominus non transfert dominium rei plene sed retinendo aliquam partem, quod juste facere potest. Est etiam *consignationis* si «quis super re aut persona sua consignat alteri jus pensionis.» Subdividitur: 1.º in *realem* fundatum in re aliqua immediate ad pensionem obligata,

qua proinde pereunte census perit. In *personalem* fundatum in persona quin ullam ejus rem obliget. In mixtum fundatum tum in re, tum in persona et quidem immediate, sic ut, pereunte re, maneat nihilominus persona obligata. 2.^o In *pecuniarium*, in quo pro pensione debetur pecunia; et in *fructuarium* in quo debetur pars fructuum. 3.^o In *perpetuum* et *temporalem*. *Perpetuus* subdividitur in *irredimibilem*, qui est absolute perpetuus, et *redimibilem*, qui quantum est de se perpetuo durat, nisi redimatur. *Redimibilis* subdividitur in *redimibilem ex parte unius tantum* et *redimibilem ex parte utriusque*. Temporalis vel est ad certum tempus v. g. ad 20 annos, vel ad incertum v. g. ad unius aut plurium vitam et dicitur *vitalitius*. Assertio est communis inter doctores (1).

Prob. 1.^o Ex SS. Pontificibus, qui hos contractus approbarunt. Martinus V; Calixtus III; qui haec verba habet: «Nos igitur... ad omne super his ambiguitatis (i. e. censibus de quibus est sermo) tollendum dubium, praefatos contractus licitos juriq; conformes et vendentes eosdem ad ipsorum solutionem censuum et reddituum juxta dictorum contractuum tenores, remoto contradictionis obstaculo efficaciter teneri, auctoritate Apostolica, praesentium serie declaramus.»

2.^o Ratione: a) Licitum est alio titulo ab emptione seu oneroso constituere census realem, ut contrarii concedunt nempe donatione. Ergo licitum erit etiam constituere illum titulo emptionis. *Conseq.* prob. Quia ille census est pretio aestimabilis et non minus continetur virtute in re censita ut dominus rei censitae illum donet vel vendat, prout voluerit. b) Licita est emptio ususfructus agri alicujus qui de novo concedatur manente in alio proprietate. Ergo licita est simili modo emptio alicujus census realis, qui de novo constituatur, cum aliud non sit nisi emptio partis ususfructus. *Conseq.* patet, quia ejusmodi census non est aliud quam pars quaedam juris in eo agro ex jure majori quod proprietarius in eo habebat. c) Ut usus communis ubique testatur, licita est emptio, pretio finito, praedii alicujus, quoad plenum dominium, nihil impediens quod fructus ex eo praedio percipiendi, in perpetuum eo ipso attingant ad emptorem. Sed emptio census realis novi perpetui in aliquo praedio non est aliud, quam emptio partis juris ad fructus, quod proprietarius habebat in perpetuum. Ergo juste fit minori pretio, quam emeretur idem praedium pleno jure: atque adeo juste fit pretio finito. Ratio *majoris* est, quia valor fructuum percipiendorum, ut sunt in potentia praedii, reddunt praedium valoris finiti.

Dices 1.^o Ut in censibus pretium justum esset, ita deberet se habere census A ad census B sicut pretium census A ad pretium census B. Sed non ita est. Ergo... *Min.* prob. Census perpetuus excedit in infinitum census temporalem vel vitalitium. Sed pretium census perpetui non multum excedit temporalem, puta non nisi in decem vel in quinque. Ergo...

(1) Vid: Lugo D. 27, n. 12; Molin. D. 385, n. 8; Lessi. L. 2, c. 22, n. 12.

Resp. 1.^o Indirecte instando: Ergo domus cujus valor est 1000 aureorum, plus valet: et prob. sicut se habet usus ad usum, ita pretium ad pretium debet se habere. Sed usus v. g. locationis ad 10 annos non valet nisi 400. Ergo usus in perpetuum, qui datur in venditione plus quam 1000 debet valere.

Resp. 2.^o directe ad utrumque. Dist. *Maj.* Debet esse aequa proportio in pretiis censuum A et B si omnia se habeant aequaliter; conc. Si inaequaliter N... Et dist. *Min.* Non ita est si considerantur aequaliter; conc. Si inaequaliter neg... Ad prob. Excedit in infinitum in potentia et in spe; conc. actu; neg. Et concessa *min.* neg. *conseq.* Ratio est quia licet cumulus fructuum vel pensionum ex agro vel censu reali percipiendorum, si simul adesset, plus valeret quam sit pretium vel capitale quod pro agro vel censu reali datur; spes tamen illorum fructuum vel partis eorum a censu- lista, censu empta et tot periculis et incommodis exposita non pluris a prudentibus aestimari solet.

2.^o Dare nunc 100 ut reddantur tibi 5 singulis annis, nihil videtur esse aliud quam mutuare nunc 100 solvenda tibi per partes, intra viginti annos ($20 \times 5 = 100$) cum jure accipiendi lucrum in perpetuum nempe alia 5 singulis annis. Sed hoc est lucrari ex nudo mutuo. Ergo...

Resp. Neg. *maj.* Ad prob. nego paritatem in majori stabilitam. In quo vero stet disparitas, non eodem modo docentur aa. ut videre est apud Lugonem (1), qui (n. 20) excusat ab usura emptionem, dicendo emi partem «ususfructus v. g. praedii, super quo census constituitur, ita ut dominium totum directum praedii maneat apud venditorem; dominium tamen utile seu jus ususfructus ex parte vendatur, quod jus parziale seu dominium utile parziale, seu jus ususfructus partialis, non valet quantum valeret totum praedium, sed multo minus, ut constat, et ideo si totum praedium posset mille aureis emi, poterit dominium utile parziale, seu jus ususfructus partialis juste quingenis emi; quo pretio acquirit emptor partem dominii utilis; postea vero alio contractu qui implicite etiam continetur in ipsa constitutione census realis convenit inter contrahentes ut pro spe fructuum, quos emptor sperare posset ex illo dominio utili obliget se venditor ad solvendam talem pensionem annuam pecuniariam qui etiam contractus licitus est.»

112. Dico II. Etiam emptio novi census personalis per se licita est.

Hic tota quaestio est an census mere personalis cujus pretium non adaequat cumulum pensionum, quando lucrum cessans, vel damnum emergens, periculum aut similis ratio non intercedit, liceat. Est probabilis (2).

Prob. 1.^o Potest aliquis sponte sua se personaliter solum obligare ad pensionem annuam alteri solvendam: potest etiam princeps ejusmodi pensionis personalis solutionem subditis per modum tributi imponere. Ergo poterit etiam se aliquis pretio accepto relative minori omnibus pensionibus, ad eandem pensionem solven-

(1) D. 27, a. n. 17.—(2) Cum Lessio L. 2, c. 22, n. 18 et aliis contra Lugo D. 27, n. 25.

dam se obligare. Prob. *conseq.* Certum est eum, cui pensio talis debet dari, posse jus ad eam vendere, et alium tertium posse emere minori pretio, nemo enim dabit pro jure illo pretium praesens aequale omnibus pensionibus futuris. Ergo a pari de novo.

2.º Sicut dominus potest vendere in censu reali jus quod habet ad fructus sui praedii saltem partialiter, sic potest vendere jus ad fructus et lucra suae personae, obligando se et suos successores ut loco horum fructuum detur aequivalens pecunia. Ergo...

Dices 1.º S. Pius V (1) inter varias condiciones quas requirit ad constitutionem census, haec est, quod constituatur in re immobili determinata et frugifera. Ergo damnat censum personalem.

Resp. Dist. *antec.* requirit quod constituatur in re immobili, ex jure naturae, neg. ex jure positivo per illam Bullam inducto, conc. Bulla non est mere declarativa juris naturalis, sed constitutiva novi juris: a) quia sic eam interpretantur nobilissimi auctores; b) quia non omnes condiciones ibi ad census constitutionem requisitae sunt necessariae jure naturali, cum alii Pontifices ad censuum constitutionem pauciores condiciones postularint; c) quia declarat se non extendere Constitutionem suam ad censuum contractus jam celebratos sed ad in posterum celebrandos. Ubi ergo hoc jus non fuit receptum, vel contraria consuetudine fuerit abrogatum, praedictus contractus erit licitus (2).

2.º In contractu censuali intervenit mutuum virtuale ac proinde usura palliata. Ergo. *antec.* prob. Si censuarius velit redimere censum debet reddere pecuniam ejusdem quantitatis, sicut qui mutuum accepit, et praeterea singulis annis, usque dum redimat, aliquid solvere.

Resp. Neg. *antec.* Magna est disparitas inter censum et mutuum; a) pecunia mutuo tradita, communiter loquendo, post breve tempus repeti potest; secus pecunia ad censum data: b) In mutuo nullum emitur jus, censu vero emitur jus ad pensionem annuam, et pecunia accipitur sine obligatione eam restituendi priori domino: quod si dum redimitur census, redditur pecunia, hoc non fit vi prioris contractus censualis, sed vi novae emptionis, in qua iterum venditur illud jus.

3.º Qui emit jus exigendi pecuniam, emit ipsam pecuniam: atqui pecunia non potest vendi, cum ipsa sit pretium et mensura rerum aliarum: ergo hic non est vera emptio sed mutuum. *Maj.* prob. qui emit jus alicujus possessionis principaliter censetur emere possessionem: ergo. *Confir.* Propter quod unumquodque tale et illud magis: atqui illud emitur propter pecuniam: ergo ipsa pecunia magis emitur.

Resp. cum Lessio (l. c.): Neg. *maj.* et ejus prob., ut patet dum jus litigiosum emitur. Praeterea *minor* etiam est falsa; nam pecunia si distet loco vel adjunctas habeat aliquas difficultates aut pericula, vendi potest sicut aliae merces. Tamen in censu personali non ipsa proprie, sed jus ad illam venditur, ut dictum est.

(1) Bulla *Cum omnis*.—(2) S. Alphonsus L. IV, n. 849 ait non fuisse receptum in duobus regnis Siciliae, in Hispania, in Belgio, in Germania, in Gallia, nec Romae servari.

Ad confirm. dico male applicare effatum illud; sensus est, quod quando eadem denominatio convenit duobus et uni propter aliud, magis convenit causae quam effectui; unde licet jus ematur propter pensiones, ipsae tamen pensiones non sunt proprie id quod emitur in contractu censuali, sed tantum sunt ratio emendi.

4.º Leges prohibent, ne homo detur in pignus; sed per censum personalem homo ponitur in conditione etiam deteriore, cum jus census sit majus jure pignoris: ergo.

Resp. Dist. *Maj.* ne detur in pignus proprie, id est, sicut deficiente solutione possit creditor illum usurpare ut servum, conc.; ne detur in pignus improprie, id est, ne se obliget ad certam pensionem praestandam ex sua industria, arte, negotiatione, etc. nego. Si enim haec ipsi imponi possit a Principe, cur non poterit ipse se ad eandem praestandam alteri obligare?

113. *Corollarium.* Ex dictis elucet a fortiori: licere censum mixtum emere.

114. *Dico III.* Emptio census temporalis, sive sit ad certum tempus, sive ad incertum, v. g. vitalitium quamvis pensiones simul sumptae pretium excedant per se loquendo licita est.

Quoad censum incerti temporis vel certi temporis, si census est realis, assertio potest dici communis auctorum, quoad censum personalem certi temporis est probabilis (1).

Prob. 1.º In tali censu, non secus ac in perpetuo, non emuntur pensiones sed jus ad illas; atqui tale jus communi hominum aestimatione, minus valet quam omnes pensiones simul sumptae: ergo emi potest minori pretio. *Min.* prob. quia jus ad parvas quantitates longi temporis intervallis successive percipiendas una cum variis incommodis ac periculis, quibus sunt obnoxiae, prudenti hominum judicio minus valet quam omnes illae simul sumptae. Ergo...

2.º Pro censu vitalitio, quia tam censualista quam censuarius aequali exponuntur periculo; censualista non recipiendi pensiones aequivalentes summae capitali, censuarius plures solvendi.

Dices. Qui ita dat centum, ut per viginti annos recipiat quotannis octo, post viginti annos habebit centum sexaginta, et erit usurarius; sed hic est census temporalis: ergo.

Resp. Dist. *Maj.* Erit usurarius, si det centum per modum mutui; trans.; si det in emptionem census seu juris ad pensiones annuas, neg. Disparitas est, quia in mutuo secundum se et secluso periculo et damno non habetur ratio distantiae temporis: in emptione vero juris alicujus per modum mercis habetur ratio distantiae temporis et modi solvendi.

115. *Quaeres:* Utrum licitus sit census redimibilis utrinque, id est, tam ex parte ementis quam vendentis, seu vi cujus non solum vendenti sit liberum redimere, sed etiam ementi volenti post aliquot annorum pensiones solutas ad redimendum cogere.

Resp. Affirmant aliqui cum Lessio, negant alii cum Soto. Affirmantes probant: a) quia emptio aliarum rerum cum pacto de

(1) Lessii et aliorum contra. Molinam et alios. (ll. cc.)

retrovendendo in gratiam emptoris est licita. Ergo etiam emptio census cum tali pacto, modo onus redimendi justo pretii augmento compensetur. b) Juxta omnes licitum est pactum de retrovendendo si fiat cum alio tertio; imo etiam si fiat cum ipso censuario, sed postquam initus est contractus censualis. Ergo etiam si fiat cum eodem simul.

Negantes probant: quia hic contractus non differt a mutuo cum usura, quandoquidem vi illius potest censualista pro lubito, post aliquos annos, in quibus pensiones recepit, recuperare totum capitale cum lucro. Utraque sententia est probabilis; prima vero, per se loquendo, videtur probabilior quamvis in praxi valde suspecta sit: quare caute utenda.

THESIS XVII.

Testamentum non privilegiatum, nec ad causas pias factum, licet solemnitatibus juris destituatur probabilius validum est pro foro conscientiae.

116. Nota. I. Ultima voluntas est «voluntatis justa sententia de eo quod quid post mortem suam fieri vult.» Quinque sunt species nempe. Testamentum definitum a juristis ex Jure Romano «voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult cum directa haereditate institutione.» Codicillus est ultima voluntatis dispositio, qua circa testamentum aliquid explicatur, additur, mutatur sine directa haereditate institutione. Legatum est donatio in testamento consignata ab haerede defuncti praestanda ex iis quorum fiat haeres. Fidei commissum, quod fidei haereditatis committitur a testatore alteri dandum. Donatio causa mortis tandem est donatio in eventu mortis, ante quam, semper revocari potest, quare dicitur ambulatoria. Morte donatarii extinguitur.

Testamentum dividitur in solemne et privilegiatum, prout ornatur omnibus solemnitatibus jure requisitis ad ejus validitatem, vel ejus validitas est ab his solemnitatibus independens, ut testamentum militaris tempore belli, factum in navigatione, tempore pestis, etc. Testamentum solemne potest esse olographum, apertum et clausum. Holographum, si ab ipso testatore scribitur. Ut valeat, jure hispano, debet scribi in papyro sigillo publico ejusdem anni, in quo conficitur testamentum, obsignata, et subscribi a testatore adnotatis anno, mense et die confectionis (1). Apertum seu nuncupativum, quod coram scriba et testibus lege requisitis elata voce profert testator, vel cum hic chartam, ubi est testamentum, scribae coram ipso et testibus legendam tradit. Testes idonei requisiti jure hispano sunt tres (2). Clausum, quod scriptum a testa-

(1) Noviss. cod. aa. 688-693.—(2) Art. 694. Testes idonei recensentur art.

tore vel alio, charta obvolutum ipse testator scribae coram legitimis testibus tradit, simul declarans illud esse suum testamentum. Jure hispano requiruntur quinque testes; testamentum debet in fine a testatore subscribi expressis die, mense et anno conditionis; singulae tandem paginae, rubrica, si ipse, propria subscriptione, si alius testamentum scribit, notari debent (1). In testamentis holographo et clauso verba deleta, emendata, lineis intermixta propria subscriptione sarta faciet testator (2). Alia singulariora vide apud juristas et moralistas.

Jure canonico ad valorem testamenti solum requiruntur testes duo, aut tres coram Parocho, et ad pias causas, etiam in foro civili; quod si jus civile leges canonicas non recognoscat, nihilominus firmum est testamentum; quia piae causae ad Ecclesiam pertinent, ejusque subjacent jurisdictioni, cui resistere nequit potestas civilis (3).

II. Testandi facultas juris est naturalis. Nam. a) Posse testari est posse offerre seu cedere voluntarie dominium alteri in morte. Sed hanc facultatem habet dominus aliquarum rerum jure naturali. Ergo... Prob. Min. Dominus gaudens pleno dominio in res suas, potest disponere de rebus suis quomodo ei libuerit, nisi legitime prohibeatur. Sed in morte etiam hac facultate gaudet. Ergo poterit de rebus suis disponere quomodo voluerit ac proinde aliis dare, qui si acceptent, donatio perficietur et transmissio haereditatis habebitur. b) Auctoritate nostri Suarii (4) ubi dicit testamentum ab excommunicato facto validum esse, si legalia requisita serventur, quia: «testamentum habet valorem ex voluntate testatoris, quae ad hoc efficax est nisi per legem irritetur.» c) Nec obstat dominium finire in morte, nam qui testamentum facit de bonis suis disponit

681. No podrán ser testigos en los testamentos:—1.º Las mujeres, salvo lo dispuesto en el art. 701.—2.º Los varones menores de edad, con la misma excepción.—3.º Los que no tengan la calidad de vecinos ó domiciliados en el lugar del otorgamiento salvo en los casos exceptuados por la ley.—4.º Los ciegos y los totalmente sordos ó mudos.—5.º Los que no entiendan el idioma del testador.—6.º Los que no estén en su sano juicio.—7.º Los que hayan sido condenados por delitos de falsificación de documentos públicos ó privados, ó por el de falso testimonio, y los que estén sufriendo pena de interdicción civil.—8.º Los dependientes, amanuenses, criados ó parientes dentro del cuarto grado de consanguinidad ó segundo de afinidad del Notario autorizante. Art. 701. En caso de epidemia puede igualmente otorgarse el testamento sin intervención de Notario ante tres testigos mayores de diez y seis años, varones ó mujeres.

(1) Arts. 706-715.—(2) 688-706.—(3) In Catalaunia pro utroque testamento aperto et clauso sufficit scriba cum duobus testibus; in defectu scribae potest Parochus vel hujus defectu vicarius scribae vices supplere.—(4) De censur, D. 15, sec. 9, n. 1.